



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monumenta Paderbornensia**

**Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>**

**Lemgoviae, 1714**

Compendium Vitae Reverendissimi & Celsissimi Principis Ac Domini,  
Domini Ferdinandi, D.G. Episcopi Paderbornensis ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-8040**

COMPENDIUM  
VITÆ

REVERENDISSIMI & CELSISSIMI  
PRINCIPIS AC DOMINI,  
DOMINI  
FERDINANDI,  
D. G. EPISCOPI PADERBORNENSIS  
&  
MONASTERIENSIS,  
BURGGRAVII STROMBERGENSIS, S. R. I. PRIN-  
CIPIS, COMITIS PYRMONTANI,  
DOMINI IN BORKELO, L. BARO-  
NIS à FURSTENBERG.

---

*Par esset tanti Principis vitam, & admirandas virtutes elaborato volumine orbi vulgare: sed emicant eæ per se tam illustribus radiis, ut in compendio solum perstrictæ si fuerint, earum præstantia & magnitudo legentium oculos latere non possit. Optandum, ut eo nitore & gratiâ styli scriberetur id Compendium, quâ literatissimus ipse Princeps immortalia sua Monumenta posteritati conscripta reliquit.*

---

LEMGOVIÆ,

Typis & Impensis HENRICI WILHELMI MEYERI, Aulæ Lipp. Typog. 1714.





§. I.

## INITIA FERDINANDI.

I.

*Nativitas.*

**A**uspicatò hanc lucem aspexit Bilstenii (quæ una de pluribus Furstenbergiorum in Ducatu Westphaliæ dynastiis erat) anno ab ortu Salvatoris 1626, die 12. Cal. Nov. sanctæ Ursulæ sacro. Matre natus est ANNA MAR. L. B. de Kerpen, Domina in Illingen, ut avito sanguine illustri, ita prudentiâ, pietate, profundâ beneficentiâ in egenos, & aliis virtutibus commendatissimâ Heroinâ: Patre verò FRIDERICO L. B. de Furstenberg in Schnellenberg, Herdringen & Waterlap, Dynastâ in Bilstein, Waldenburg & Fredeburg, Domino in Obernkirchen, Advocato hæreditario in Graffschafft, Viro heroicis animi dotibus incomparando: *Pietate* imprimis zelosâ in Deum, & Catholica sacra: *Prudentiâ* singulari in dirigendis consiliis duorum Imperii Electorum, Joannis Swichardi Moguntini, & Ferdinandi Coloniensis: *Auctoritate, fide, eloquentiâ* in Legationibus ad Cæsares, ad Sueciæ Regem, ad alios Principes, ad Comitia Imperii obeundis: denique *infractâ Justitiâ* in gubernandis imperio suo commissis Ditionibus & Satrapiis.

*Adolescentiæ  
studia.*

2. Exactâ infantiâ, cùm rudimentis literarum imbueretur, ea facilitas ingenii, & tenacitas memoriæ enitebat in tenera ætate; ut quæ ab Instructore tradebantur, non velut incognita discere, sed quasi meminisse præcognitorum, aut innata habere videretur. Domico



stico è musæo eductus, Sigenæ in Nassavia dedit operam literis humanioribus. Paderbornæ auspicatus est studium Philosophiæ: cùmque ibi bellicus furor omnia perturbaret, & expulsis Patribus Societatis JESU, Collegium Gymnasiumque verteret in Aulam Hassicam; Monasterium Westphaliæ secessit, & philosophicum cursum ab initio repetitum absolvit. Colonia demum comparandæ prudentiæ Utriusque Juris ita se tradidit, ut (quò ardentius ex impetu quodam animi ferebatur) Historiæ, Antiquitatis, Poëticæ studium nunquam seponeret. Colonia tum versabatur FABIVS CHISIIVS (cum potestate Legati à Latere Nuncius Apostolicus; qui studiis iisdem ab adolescentia deditus, subleciivâ eorum exercitatione se oblectabat inter gravissimas curas, quibus in arduo Legationis suæ negotio fatigabatur. Is ubi de amœnitate ingenii, & flore ac copia doctrinæ *Ferdinandi* comperisset, aditum ad se facilem Nobilissimo Adolescenti indulfit, & primo in alloquio sic captus est suavitate indolis, ac germani pectoris urbano candore, ut familiarem sibi faceret, & de communibus studiis sæpe cum eo, plusculis horis cum animi delectatione tractaret.

ad Tract. Paderbornæ Monaster.

3. Inter hæc *Chisium* INNOCENTIUS X. Summus Pontifex causâ meritorum destinat Purpuræ, & Romam è Legatione revocat. Proficiscitur ille, sed animi propensione non avellit à Ferdinando, quin eum potiùs in pectore secum abripit Romam. Non multò enim post à Pontifice evectus ad Eminentiam Cardinalatûs, sed eò demisit, ut clementissimis literis Furstenbergium suum ad se invitaret. Fecit invitatus, quod in tantum Ecclesiæ Principem officiosa, & sui non negligens prudentia dictabat: Romanum iter (ad campum videlicet enascentis gloriæ suæ) pronus instituit, & feliciter auspice Deo confecit. Appulsum, auctior jam dignitate Cardinalitiâ *Chisius*, auctiore cum benevolentia suscepit, & familiaritate dignatus est arctiore, quàm in Germania. Nam INNOCENTII vitâ functi Successor electus, & in Pontificio

Profecio Romanæ.

(a 2) Thro-



Throno cum nomine ALEXANDRI VII collocatus, in Aulam ad familiares intimæ admissionis, & Pontifici cubiculi prærogativam accivit.

*Studia & honores Romæ.*

4. In hoc munere, velut in alto positum fidus, suavissimè illuxit oculis non modò Pontificis & Cardinalium; sed eorum etiam, qui Romæ Principes eruditionis audiebant, eorumque animos in sui amorem pertractos, contrahendæ notitiæ & familiaritatis desiderio accendit. Utebatur illis ut core ad acuendum ingenium, & limatissimè perpoliendum: cum aliis poëtica inibat certamina: cum aliis eruderat abstrusiores historias: bibliothecas eorum lustrabat assiduè, Vaticanam præcipuè, ductore ejusdem Præfecto Luca Holsteinio. Qui cum non ignoraret, eum esse Paderbornensis Ecclesiæ Cathedralis, & vicinarum Hildesienfis ac Monasteriensis Canonicum, antiquiores ei quasdam scriptiones exhibuit de rebus antiquis Westphaliæ, præsertim Paderanæ ditionis. Tum enim verò, quasi invento thesauro literario exultans, stimulari cupidine cœpit potiora ex iis monumenta colligendi, proque popularium suorum, & posteritatis jucunda notitia versibus illustrandi, etsi de Episcopatu Paderano animum nulla tum cogitatio subivisset. Igitur selectiora excerptit, Historicos plures Romanos, Francicos, Saxonicos evolvit, magno judicio, quæ erant Paderæ propria, seligit: Poëtam, Antiquarium, Historicum miscens aggreditur MONUMENTORUM opus, quod postea Notis doctissimis illustratum, Eruditorum plausu exceptum est, & omnium commendatione celebratum. Quâ verò claritate nominis ipse tum Romæ floresceret, judicio patuit Academiæ, quæ ibi Virorum est honore, ingenio, disciplinarum omnium & facultatum culturâ præstantium, quando illum unanimi sensu primò expetivit ut membrum, deinde, ad mentem Pontificis, Caput & Principem suum elegit: quæ dignitas uni exterorum *Ferdinando* delata est, cum Italis solis, illustri profapiâ & doctrinâ clarissimis, usque eò demandari solita esset. (c 5)

5. Non



5. Non dubitabatur, quin ei Galerum purpureum impositurus esset ALEXANDER, cum Reverendissimus & Perillustis D. Simon Mauritius à Lippe, Cathedralis ad Paderam Canonicus, Romam nomine Collegarum ablegatus, annunciat FERDINANDO, cunctorum suffragiis solennique ritu, Episcopum & Principem Paderbornensem esse renunciatum: quod contigit An. MDCLXI, die XXI. Aprilis. Non facile dictu est, quâ benevolentia honorem *Electo* gratulatus sit Pontifex: quo studio *electionem* die XXX. Maji *confirmaverit*, volueritque die VI. Junii ab Eminentissimo Cardinali Julio Rospiglioso, postmodum nomine CLEMENTIS IX. Pontifice Maximo *Episcopum consecrari*. Et quanquam separari à se *Ferdinandum*, & ab humanissima doctissimaque sua familiaritate avelli SANCTITAS SUA novennio passa non esset; hæc tamen electio tandem persuasit, ut indulgeret eum Româ discedere, & capiendæ possessionis gratiâ in Germaniam, suamque diœcesin properare. Postremo in aditu, & procinctu itineris, commotionem viscerum *sanctissimus Pater* illacrymavit, & faustas inter apprecationes, abiturienti paternam benedictionem impertiit, vel augurem felicitatis in Episcopali principalique regimine, vel conciliatâ gratiâ divinâ adjutricem. Revertentem ex Italia *Reverendissimum & Celsissimum Principem ac Dominum suum*, velut exorientem post nubila Phœbum, gratulabunda excepit Paderana Diœcesis die XII. Octobris, & biduo post inatigurali festivitate ac pompâ in urbem thronumque principalem induxit.

## AUSPICIUM & REGULA GUBERNATIONIS.

6. Gubernationis auspiciu cœpit ab eo, cujus potentia & bonitatis est, animos Regentum *confirmare spiritu principali*. Præcipuam inter primam curam habuit

(a 3)

Invocatio divini auxilii.  
Psal. 50. 14.



buit, ut hunc spiritum sibi de cælo copiosè infundi contenderet, tum ardore precum, tum oblatione Missarum frequenti, quarum & ipse multas offerebat in eum scopum Divinæ Majestati, & offerri per alios Sacerdotes quàm plurimas faciebat: neque hoc ad initium solùm, sed etiam in progressu annorum. Cùm enim sexennio post gloriosissimæ & æternæ memoriæ Principi & Episcopo Monasteriensi *Christophoro Bernardo* Coadjutor esset electus, illoque fati sublato Monasteriensis Ecclesiæ gubernacula suscepisset, specimen dedit hujus pietatis, quod quantò studiosiùs, dum viveret, obvelare tenebris, & humanæ notitiæ subtrahere nitebatur; tantò fructuosius post obitum, ad Dei & Principis gloriam, in publicam lucem protrahendum est. Litaturus erat divinam hostiam, & apud Sacerdotem, qui à confessionibus erat, insolita cum devotione conscientiam expiaverat; cùm complicatam ei chartam porrigit, eâ cautelâ reponendam in altari, ut à nemine adstantium possit adverti. Peractum Sacrificium animo præter morem in Deum defixo. Digressis omnibus, clanculum à Confessario charta, ab altari sublata refertur, & asservatur, his præter cætera verbis conscripta: *Pro gratia Dei mihi impetranda & conservanda, pro constanti corporis & animæ salute, pro virtutibus principalibus, & animarum zelo, faustoque regimine obtinendo, ut diocesum mearum subditis optimè præsim & prosim, & ita transeam per hæc temporalia, ut non amittam æterna, Deo Domino meo mille Missas offero, ab aliis nempe Sacerdotibus suo nomine dicendas.*

1667. 19.  
Jun.

1679. 13.  
Novemb.

Ex autogra-  
pha.

Pro auspicio  
gubernatio-  
nis.

Orat. I.  
Apolog.

7. Felix profectò auspiciam tam sacræ, quàm politicæ gubernationis. Quid enim imbecilla & provida mens mortalium valebit in arte regendorum hominum, quæ à Nazianzeno *ars artium & scientia scientiarum* vocatur? Exscribant alii Principes arcana regnandi è Tacito, & callidam Machiavelli politicam omnem exhauriant: nisi divinitus haustis principiis, & principali spiritu regimen guber-



gubernante subnixi constiterint; corruet illud subdolum fucatumque artificium gubernationis, instar ædificii, quod fundamento caret, & Gubernatores unà cum subditis miserandâ ruinâ involvet. Solidiorem sibi politicam FERDINANDUS à Superis, istâ precum & sacrificiorum frequentiâ acquisivit, quasi cum divino Sapiente orâisset: *Domine Deus, da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam .... Quoniam servus tuus sum ego .... homo infirmus & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicii & legum.*

Sap. 9: 4-5.

8. Impetrâsse videtur, quod petiit. Eodem enim tempore deliberabat de assumenda (pro usu Heroum) familiari tessera, aut symbolo, quod sibi ut legem aut regulam, subditis ut ideam futuræ gubernationis proponeret. Altiore, non dubium, instinctu elegit has binas voculas, FORTITER & SUAVITER. Quid enim iis ad tenendum reipublicæ clavum opportunius, ac necessarium magis? Adhuc invenire est in orbe rempublicam, quam aliquando non misceant scelerati in Deum & impii cives cum probis; refractarii ad imperia iussa; Magistratuum cum obedientibus; turbulenti demum, potentes & injuriosi cum tranquillis, debilibus & placidis. Et quamvis rempublicam suarum Dicecesium tali mixturâ depravatam non existimaret: timere tamen poterat, ne aliquando pro mutabilitate humanarum mentium eâdem inficeretur. Itaque se ad vigilantiam, subditos ad cautelam ut excitaret, SUAVE quidem imperium, sed & FORTE à se exercendum, ipso regiminis initio indixit. *Forte* quidem pro DEO in sceleratos ad vindicanda eorum flagitia; *suave* in innoxios, ad fovendam eorum probitatem & conservandam: *Forte* pro SE, suâque & inferiorum Magistratuum auctoritate, in refractarios, ad compescendam eorum audaciam; *Suave* in obedientes, ad commendandam eorum pronitatem, & remunerandam: *Forte* postremò pro SUBDITIS, in turbulentos & potentiores, ad propulsan-

Electio regula  
aut symboli.



pulfandas eorum injurias; *Suave* in tranquillos ac debiles, ad jura eorum & bona servanda integra, aut recuperanda. Non potuit nisi à largitore principalis spiritûs Deo inspirari regula, quæ tantæ utilitatis est ad DEI honorem, ad PRINCIPIS dignitatem, ad incolumitatem SUBDITORUM.

Quod divina  
Gubernationi  
conforme.

Psal. 100. 1.

9. Denique securior, & fortunatior ad gubernandum fuit hæc Regula ex eo, quòd gubernatricis omnium divinæ sapientiæ formam in se transumpserit. Electus à Deo doctusque magnus Judææ Rex, in admirabilium serie Psalmorum unum cecinit, qui jure dicitur laudabilem regula Principum. Sic enim orditur: *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine.* Nomine judicii regalem justitiam, & nomine misericordiæ clementiam intelligere licet. Quid autem FORTIUS divinâ justitiâ? quid SUAVIUS clementiâ? Quare si regius vates ipsiusmet Dei, gubernantis hunc orbem, justitiam clementiamque se cantaturum hoc in Psalmo spondebat, fortiter & suaviter omnia ab eo gubernari insinuabat. Si verò suam, à Deo sibi collatam justitiam clementiamque Regibus aliis pro idea tradere constituebat; fortiter & suaviter sceptrum esse torquendum instillabat. De felici, pacifico, subditis facili, affluentiarum beato, in annum usque XXIII. producto FERDINANDI regimine, experientiam habuere subditi, celebremque famam posteris servant. Causam refundere licet in beneficentiam Remuneratoris Dei, quòd harmonicum fecerit concentum inter principalem justitiam & clementiam; traditamque sibi rempublicam, pro constituta Lege & Regulâ FORTITER SUAVITERque gubernaverit.

#### ADJUMENTA GUBERNATIONIS.

Bono auspicio & regulæ gubernationis, alias, Christiano & Ecclesiastico Principi opportunas, ac propè necessarias dotes cumulatissime adjunxit FERDINANDUS *Eruditionem, Prudentiam, Pietatem, Zelum salutis animarum.*

§. III.



§. III.  
ERUDITIO.

10. Inguenarum artium & disciplinarum comprehensio ornamentum est nobilitatis, & adjumentum, quo sibi aditum pandat ad sublimiora culmina honorum atque dignitatum. Venit in mentem arbor genealogica stemmatis Furstenbergici. Video sparsim affixa frondibus antiquæ nobilitatis insignia, tum publicorum munerum titulis, tum infulis Præsulum, Principumque coronis ad splendorem famamque sempiternam exornata. Edisserat de ea, quid sentiat, ipse FERDINANDUS. *Domus Furstenbergica more omnium antiquarum, tam illustrium, quam nobilium familiarum, primordia generis sui debet armis & militia; progressum verò atque incrementum doctrine atque liberalium artium disciplinis: quibus hoc & superiori seculo ita incubuit, ut Archisatraparum, Marschallorum, Satraparum, Legatorum, intimorum Consiliariorum munera, ecclesiasticas dignitates, Præsulum honores, Maximorum Pontificum & Cesarum gratiam, titulos Principum, atque infulas Episcoporum inde meruerit.* Recensere nomina singulorum prolixitas foret. Inter Principes primum insinuat WILHELMUM, Ordinis Equitum Teutonicorum in Livonia Magistrum, principio multis annis favore blandientis fortunæ felicem, tum adversantem invidiâ propè miserandum, nisi magnanima virtus laudem potius ac gloriam, quam miseratorem exigat. Integritatem enim Catholicæ fidei adversus invalescentem hæresin, & dignitatem Ordinis Teutonici contra impugnationem Moschorum, victoriosis multorum annorum præliis, animo semper invicto defendit: at denique cæso ab iisdem exercitu Teutonicorum victus, & à præsidio arcis Velinæ, quò se receperat, nefariè proditus, captivus in Moschoviam ductus est: Egit quidem per Internuncium suum FERDINANDUS I. Augustus, egit Magnus Magister cum toto Ordine

*Hac Furstenbergis gaudens ad honores.*

*in Monum. sit. Oldemburg.*

*Etiã ab Principibus.*

*An. 1560. in Julis.*

(b)

ne



ne Teutonico, egerunt alii Principes apud Moschum, ut in libertatem eum assererent, multaque millia aureorum pro lytro miserunt, quæ acceptavit barbarus, & nihilo minus eum in captivitate retinuit, ubi denique magno pietatis, patientiæ, & æquanimitatis exemplo vitam senex finivit.

*Theodoro, præ-  
cipuo & Fer-  
dinando.*

*Dat. 1660.  
26. April.*

II. Alterum innuit è sua domo immortalis memoriæ Principem & Episcopum Paderbornensem THEODORUM, electum An. MDLXXXV. ad æterna translatum MDC XVIII. cujus decora virtutum, & merita in Ecclesiam suam non decet humili stylo deterere, cum à LEOPOLDO Cæsare sublimi encomio celebrata sint in Diplomate, quo Furstenbergiorum, antiquissimâ nobilitate florentium *indefessa, & fidelissima, atque etiam utilissima* multis Imperatoribus, nec non Augustissimæ Domui suæ Austriacæ, *inconcusso devotionis ac fidei studio, tum pacis tum belli tempore, demississimè præstita obsequia & servitia* præfatur, demumque suos, ad Sacri Romani Imperii, Regnorumque & Dominiorum hereditariorum Liberos Barones facit, creat, erigit. In hoc ergo Diplomate CÆSAR de Theodoro, postquam egregias zelosi doctique Principis virtutes prolixè laudasset, in hunc modum concludit: *Præteritorum bellorum calamitosissimis temporibus, tanto studio & fidelitate Ecclesiæ præfuit, ut alter ejus Fundator jure merito, & cum singulari suo encomio dici possit.* Tertium è sua Familia Principem se ipse FERDINANDUS in monte designat, & modestiâ supprimente nomen infinat, quòd studio literis impenso comparaverit publicam famam eruditionis, & conciliaverit sibi flagrantissimam ALEXANDRI Pontificis gratiam, atque in animis DD. Capitularium Paderanorum & Monasterienfium fortunati regiminis expectationem concitaverit; atque ita his veluti gradibus, ad Celsitudinem utriusque Principatus ascenderit.

*Cujus, gubernationem illustravit.*

12. Nec minora ad gubernationem, quàm ad consecutionem Principatum adjumenta literas fuisse, expertus est



est FERDINANDUS. Claudio Tacito Imperatori acclamabat Senatus populusque Romanus: *Quis melius, quam literatus imperat?* Abundabat omni genere literarum doctissimus Princeps noster. Amœnitate Poësis, & concinnitate politorum versuum concertabat cum primis ex Antiquitate principibus hujus artis, & merebatur à cultissimo Poëta nostri temporis appellari,

Vopiscus in  
Tacite.

- - *Charitum soboles, & Phœbi dexter ocellus:*

Rottendorff.  
in Carm. ve-  
tius.

merebatur omnium nostræ ætatis Poëtarum laureas, fides & lituos suis pedibus ab ipsis adlterni:

*Unum omnes positis te frontis honoribus, unum*

*Abjectis coram fidibus, lituoque jacente*

*Ante pedes, unum litui fidiumque potentem*

Rhans in  
gratulat. ad  
Eerd.

*Te colimus.*

Sed hæc si aurium & ingeniorum deliciis fortè magis inserviunt, quàm gubernationi populorum; alia proferrantur genera literarum, quæ huic illustrandæ sint opportuniora. Eloquentiâ pollebat suavissimâ, & fluidâ in florente ætate; postmodum strictâ, pro more Magnatum, & ad persuadendum nervosâ. Sapientum veterum & politicorum documentis; peritiâ juris communis, & statutorum ac legum municipalium; historiarum (quæ & fortunatos & infelices omnis ævi Principes describunt) notitiâ sic animum comparaverat, ut SE & rempublicam suis consiliis regere sciret; alienis, etsi ad sublevandam molem curarum uteretur, non facilè posset in periculum adduci, ut si qui fuissent aut perfidi, aut imperiti consultores, (quod infortunium aliquando aularum est) ab iis, in errorem traheretur, atque ad ignominiam famæ, damnumque reipublicæ quicquam decideret. Ad illum non pertinebat ea comparatio, quam instructor Cæsaris Trajani Plutarchus, inter Principem imperio celsum, interque colossum suâ mole sublimem, cum hoc discrimine instituit: *Quòd illud colossorum pondus rectitudinem illorum stabilem & immotam servat. At ineruditi Principes, propterea quòd intus malè librati, aut scientiâ inanes sint, se-*

Lib. de do-  
ctrina Prin-  
cipum.



*pe numero vacillant ac evertuntur.* Tam procul hæc labes à FERDINANDO, quàm ruditas, ut qui esset in re, & vulgato encomio diceretur eruditorum Princeps, & Principum eruditissimus.

*Gravioresque  
suras non im-  
pediuit.*

13. Fortè mussitat quispiam: Regum & Principum esse arma tractare pro libris, & tela pro calamis: martias tubas & tympana præhabere Apollineis fidibus & lituis: munimentis arcium struendis magis incumbere, quàm eruendis temporum antiquorum monumentis. Vana mussitatio. Quos enim vel duritia ingenii, vel educationis neglectus à studio literarum abstinuit, ad obtegendum ignorantiae dedecus, quasi thraconismo quodam talia jactare consueverunt: ab iis, qui dote prudentiæ instructi sunt, alia sententia fertur. Quid enim prohibeat, à magnanimo & ingenioso Principe, usum armorum cum scientia literarum conjungi? Julium Cæsarem, Carolum Magnum, & alios cogitent, qui ut in bellis ea faciebant, gloriose doctæque scribebant, egregio telorum atque calamorum temperamento. Non igitur cura armorum ab heroicis FERDINANDI studiis separata dicatur. Habebat apparatus bellicum suâ potentiâ dignum, & militares copias eo numero sub signis, ut arces urbèsque Provinciæ suæ justo præsidio custoditas teneret, & foederatis Principibus legiones in subsidium mitteret: ut quò remotiùs hosti communi obicem poneret, eò securiùs limites suarum terrarum ab invasione tueretur. Paratissimus ergo in bellum, si quæ necessitas incubuisset: at pro incolumitate & quiete subditorum pacis amantior. Quàm ejus consiliis votisque, cum inter gravissima turbatae Germaniæ bella, divina providentia semper indulserit; quis eâ sit inhumanitate, ut indecorum existimet, quòd, quas horas ab habendis consiliis, à jure dicendo, à decidendis controversentium litibus, ab audiendis supplicum precibus, ac miserorum querelis superfluas haberet, eas à venationibus, à ludis, ab intempestivis conviviis, atque etiam à nocturna quiete abstraheret, & non



& non amœnioribus Musis (quas, uti memini, jam Episcopus & Princeps deamare in aliis, se verò negligere dicebat) sed evolvendis historiis, novisque libris proprio ingenio & labore concinnandis, pro honestissimo oblectamento impenderet? Non modò detrimentum ea res magnanimæ gubernationi non attulit; sed regiam quasi coronam imposuit, ut Aurelius Cassiodorus: *Quasi diadema eximium, impretiabilis notitia literarum: per quam dum veterum prudentia discitur, regalis dignitas semper augetur.*

Lib. II. Variar. Epist. 6

## §. IV.

## PRUDENTIA.

14. Eruditionem comitabatur prudentia, velut oculus mentis, qui circumspiceret omnia, & tum eruditionis ipsius, tum aliarum virtutum in operando modum, & ordinem discretè ostenderet. Oeconomicæ quidem hoc illustre sit indicium. Quamvis ad magnificentiam principalem, aulæque splendorem nihil à quopiam desiderari posset; animo tamen prospiciente in posterum, & operibus magnis intento providebat, ne prodigâ in voraginem superflui luxûs, in assentantium greges, in superbiorem gradu Principum pompam effusione, exhauriretur ærarium; sed opibus semper abundaret ad literatorum (quæ ejus deliciae erant) fovenda studia ac donativis excolenda; ad extruenda Cænobia Templaque, aut ornatu & annuo censu ditanda: ad Apostolicas pro disseminanda, & conservanda fide missiones, incredibili largitate fundandas. Non igitur parsimoniam cupiditati servientem dixeris istam ærarii curam, sed prudentiam maximæ piæque liberalitatis procuratricem. Insticit in hac via vestigiis Celsissimi & Prudentissimi Principis *Theodori Propatruis*, quem in domestica re & familiari, ad æqualem trutinam exacta, librataque omnia habuisse accepimus; ut pro fide (quæ invalescente per urbem & diocesin Paderanam, ac rebellante hæresi in ruinam vergebat)

Prudentia  
Ferdinandi  
æconomica.



constabilienda, & in subditis non modò præsentibus, sed etiam futuris fulcienda, magnificos sumptus in opera planè similia erogaret.

*Ejusdem  
prudentia gu-  
bernatrix*

15. Gubernatrix autem prudentia, etsi pariter cum priore fundata sit in nativa vi perspicacis ingenii, & judicii maturitate; pluribus tamen incrementis aliunde potest augeri. Ab eruditione quidem, quæ Veterum documenta monitaque subministrat: tum ab usu & experientia, seu propria, seu exemplari Regentum, quibuscum versari contingit: denique à deliberatione cum Consiliariis, sinceræ veræque politiæ peritis. De FERDINANDI acumine intellectûs, & maturitate judicii, atque eruditione, ex ejus scriptis gestisque testatur orbis. Antequam reipublicæ manum admoveret, usum regendi exemplarem facilè comparavit; cum in aula Cardinalitia triennio, sexennio verò in Pontificia, non in promiscuo grege ministrorum, versaretur; sed in intima, & consiliorum partecipe, atque eventuum arbitra familiaritate viveret cum supremo Ecclesiæ, & Apostolicæ sedis Governatore Alexandro. Consiliariis demum negotia gubernationis secum ponderanda proponebat exercitatissimis, interque eos, qui eminebant, germanis fratribus. Quis enim consultior *Friderico* primogenito paternorum, quæ ante meminimus, castrorum & dynastiæ munerum & virtutum omnium hærede? Quis consultior *Wilhelmo*, trium P. P. P. Maximorum ALEXANDRI VII. CLEMENTIS IX. CLEMENTIS X. Cubiculario intimo, Præposito Monasteriensi, Decano Salisburgensi, Canonico Capitulari Paderbornensi & Leodiensi, Archiepiscopi Salisburgensis Consiliario intimo, multis ad Cæsarem, Principes, Comitibus Imperii Legationibus claro? Quis *Francisco Wilhelmo* Archicomendatore Ordinis Teutonici in Westphalia? Quis *Joanne Adolpho* Præposito Paderhornensi, Canonico Capitulari Monasteriensi & Hildesienfi? Tot igitur fulta subsidiis nativa prudentia FERDINANDI non aberravit à tramite felicissimæ gubernationis

*Num. 1.*



nationis, quantumvis lubrica in eo vestigia sæpe à nonnullis fingantur.

16. Noverat ex Apostolo, Reges & Principes *in sublimitate esse*, atque interprete Nazianzeno, quasi *in sublimi & pendulo fune gradientes*: noverat ex regio vate, *impositos* eos esse *super capita* subditorum. In ponendis ergo vestigiis cautâ prudentiâ sibi utendum sciebat, ut ambulans in extento fune sublimitatis, se præservaret à vacillatione; & per capita subditorum ingrediens nullum gravaret, nulli querelarum aut murmuris justam causam præberet. Quid enim illum potuisset concutere in sublimitate principatûs, nisi turbo bellorum? At cautè antevertit *concordiâ Ordinum, publicæ pacis studio, vicinorum*, imò & remotorum *Principum amicitia*, ut annotavit Schatenus. Quid in ambulatione super capita murmur, & rebellionem subditorum excitasset, nisi importuna sævities onerum & exactio-num? At providè illam suppressit *suavi gubernatione*, subditorum viribus ac meritis attemperatâ. Sibi cantatum putabat, quod cecinit olim Horatius suo Augusto: *Hic ames dici Pater atque Princeps*. Sublimitas Principis non fastidiebat paternum amorem in subditos, paternusque amor sublimitatem Principis non deprimebat, exquisitâ prudentiâ sic æquilibrium tenente; ut nemo non Principem veneraretur in communi administratione, defensioneque reipublicæ; nemo non Patrem experiretur in privatis commodis subditorum procurandis. Ipsius curæ illorum securitatem, ipsius vigiliæ illorum quietem, ipsius labores illorum otium ita præstabant, ut nemini tamen scelerato impune esse liceret.

17. Hac in re maximè obtemperabat dictamini sui symboli, FORTITER & SUAVITER. Cùm enim in multitudine hominum innumera, tam indigenarum, quàm adventitiorum, *flagitia & facinora sine modo sint*; etiam sola suavitas & clementia, sine mixtura justitiæ, fuisset absque modo debitaque mensurâ; imò novorum fuisset

*Principalis & paterna.*  
1. Tim. 2. 2.  
Orat. 1. Apol.  
Psal. 65. 12.

*In dedicat.*  
Caroli M. Catholici.

*Lib. 2. Carm.*  
Oda 1.

*Suavis & fortis.*

*Tacit. lib. 3. Annal.*



fuiſſet invitatio ſclerum, veterumque fomentum: quod honori divino, quod vitæ ſocialis incolumitati, quod Principis famæ atque dignitati adverſatur. Neceſſitas ergo ſi aliquando præciperet, ut juſtitia vindicanti & legibus obſequeretur, ac ſupplicia in reos pœnasque decerneret; eâ lenitate, atque animi moderatione Principem agebat, & nihil atrociam nimiamque ſeveritatis, ſed contra doloris ac miſerationis paternæ plurimum præſerret. Fuit, cum enormium flagitiõrum accuſaretur aliquis, duceretur in vincula, convinceretur & ab aula judicio condemnaretur atroci genere ſupplicii. Tum verò cunctari miſiſſimus Princeps: miſeri delicta perſcribere ad Univerſitates, & Theologicarum ſimul ac juridicarum Facultatum deciſiones exquirere: denique iisdem cum aula judicio conſpirantibus, executioni ultra non reluctari. Ita ſuavem & fortem efficiebat prudentia, & merebatur, ut eruditorum quiſpiam viventi hoc elogium ſcriberet: *Jus ſuum cuique liberaliter tribuere, tuum non ſuperbè ſed conſtanter vindicare, divinas leges & tueri & exequi, ſubditos in fide atque obſequio continere... tibi tam uſitatum eſt, quàm decorum.* Non attinet plura in commendationem prudentiam afferre, cujus hoc teſtimonium è calamo Summi Pontificis ALEXANDRI, in literis ad Reverendiſſimum & Illuſtriſſimum Cathedrale Capitulum Paderbornenſe datis profluxit: *Pietatem, Prudentiam, Zelum, ceterasque virtutes omnes eximio Præſule dignas in eo; longo ſub oculis noſtris experimento cognitæ ac bene perſpectas habemus.* A quo nunc elogio ad recenſenda quædam opera pietatis ac zeli manuducimur,

§. V.

## PIETAS.

*Pietas Ferdinando ingenua.*

*Matth. 6. 6.*

18. Pietas, de qua hic ſermo, eſt verus Dei cultus, qui præter internos animi Deum colentis affectus, publica etiam & externa opera in ſe comprehendit. Interna hiſ commendantur à Salvatore: *Cum oraveris intra in cubiculum*



*culum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito:* 2. de serm. in  
Mont. cap. 2.  
absconditum illud cubiculum ab Augustino dicitur *Cor*  
orantium. Opera pietatis externa, & publica commen-  
davit divina Majestas, quando Salomoni ad extruen-  
dum Solymense Templum accincto, præsentem se sti-  
tit, magnisque promissis ad operis consummationem  
animos fecit. 1. Reg. 6. 14. Quæ autem vera pietas, quis integer Dei  
cultus, extra Ecclesiæ & fidei Catholicæ gremium in-  
veniatur? Furstenbergiorum Familiam hoc singulare  
decus, quasi pretiosum cimelium exornat, quod usque  
hanc diem in unione Catholicæ Ecclesiæ immola persti-  
terit; quantumvis inter illas Lutheri & Sectariorum fu-  
rias, tum pravo exemplo vicinæ plurimæque nobilitatis  
in Germania, tum ecclesiasticarum licentiæ prædarum,  
tum aliis corrupti sæculi, pravæque libertatis illecebris,  
ad defectionem fortissime sollicitaretur. Cum integri-  
tate Fidei semper illibatam tenuit veram pietatem, tot  
etiam publicis post ortum hæresium testimoniis proba-  
tam, quot in arcibus & dominiis ejus erecta Hospitalia,  
quot structa sacella & aræ, quot Sacerdoria & annua  
Missarum precumque pro defunctis suffragia fundata  
conspiciuntur. Si qua vis igitur sanguinis & educatio-  
nis est, quam sæpe maximam experimur, ingenita cum  
Majorum sanguine pietas in FERDINANDUM influxit,  
tantâque præstatiâ internarum actionum, tantâ externo-  
rum operum magnificentia & multitudine effulsit, ut ad-  
mirationem allatura sit posteritati.

19. De interna ipse, qui absconditam tenebat, differere  
posset; nos ex indiciis nonnulla colligimus. Cum com-  
mentationibus rerum sacrarum, & orationi incumberet;  
cum ecclesiastico penso Horarum Canonicarum operam  
daret; clauso cubiculi & cordis ostiolo, sic hæbat ab-  
sconditus, ut curarum strepitum à distrahenda mente  
averteret, & intimorum oculos ministrorum à Sui obser-  
vatione amoveret. Divino Sacrificio, quod frequentissi-  
mè ad aram immolabat, expiationem animæ præmittebat

(c)

humili



humili confessione peccatorum: intentiones ei præfigebat suæ Personæ accommodas, & dignissimas observatu: commendabat eas Domino multis suspiriis fiduciæ & amoris divini; nonnunquam & scriptas, ut dictum est antea, per Confessarium occultè jubebat in ara deponi. Scripsit aliquando: *Pro sarcinendis injuriis, blasphemis, irreverentiis, divinæ Majestati quoquo modo illatis, mille Missas offero*: iterum eundem numerum pro impetranda pace Germaniæ, & avertendo bello Turcico: iterumque totidem pro augmento honoris divini, & eorum salute, si quibus fortasse scandalo quavis in re unquam fuisset. Quæ pietas Principi & Episcopo, innumerabilium animarum Curatori convenientior, Deoque acceptior? Ipso verò in Sacrificio admirationi erat adstantibus videre demissionem oculorum, totiusque vultus in consortio divino modestiam, angelicam penè compositionem corporis, & gravissimam simul omnium ceremoniarum majestatem. Illo demum absoluto, bene longa persolvebatur gratiarum actio, cum insolito cordis & vultus ardore.

*Et erga Cœ-*  
*lites,*

20. Post Deum ad colendos Cœlites vertebatur pietas FERDINANDI. Inter illos, quæ Deo proxima, & omnium Regina est, Matrem Dei Virginem quibus obsequiis poterat, venerabatur ut famulus Dominam; firmâ fiduciâ in opem vocabat, ut filius Matrem. In præcipuis ejus Festivitatibus Neuhusio ad urbem vehebatur, ut Sodalitio Mariano honorem præsentia, & pietatis incitamentum præberet, intimoque solatio frueretur ex audita panegyri Magnæ Matris. Exinde virgineum ejus sponsum, & nutritium Salvatoris Josephum singulari cultu prosequabatur: tum sanctum Franciscum Xaverium & alios plures, quorum aliqui mox recensentur, cum de operibus externæ pietatis agendum erit. Hic pauca speciatim de sancto Indiarum Apostolo commemoranda videntur.

*Præcipue S.*  
*Franc. Xavi.*

21. Anno MDCLXV. tertiâ die Martii tenui, ut erat initio, febriculâ corripiebatur FERDINANDUS: quare gra-



gratiâ relaxandi animi, & auræ captandæ, ad urbem & Collegium Societatis Jesu se confert. Reverso ad palatium contra spem redit acutior febris, itaque sævit spatio sex dierum, ut nonâ ejusdem mensis, ad iter æternitatis ritu Christiano se præpararet. Sacrum viaticum (flexis quidem ex pia in præsentem Dominum suum reverentia genibus) sumit è manu Confessarii, & oleo sacro ad extremam luctam inungitur. Dum igitur Aula cum urbe & diœcesi mœrore squalet, ac precibus Deum pro salute Clementissimi Principis ac Patris sui interpellat; Ipse quoque mentem fiduciâ plenam erigit in cœlum, & pio voto se Deiparæ Virgini, sanctoque Francisco Xaverio, pro recuperanda sanitate obstringit. Mitigatur quasi momento violentia febris, ac pedetentim omnis evanescit. Recuperatis viribus primò in Cathedrali Ecclesia Sacrificium gratiarum actionis Sospitatori suo maximo Deo celebrat: Tum postea in templo Societ. JESU facit ad aram Patroni & Auxiliatoris sui Xaverii, præterque insignem calicem anathema dedicat hierothecam, magnitudine & formâ humani brachii vestiti, ex argento elaboratam, quæ impostero servaret reliquias è Sancti brachio, quod Romæ est, acceptas. Sculpi fecit in argentea lamina, quæ suppedaneo hierothecæ infixæ est, hoc mnemosynon: *S. FRANCISCO XAVERIO S. J. Indorum & Japonum Apostolo FERDINANDUS Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Paderbornensis S. R. I. Princeps & Comes Pyrmontanus, gravi infirmitate liberatus hierothecam ex voto DD. Anno MDCLXV.*

22. Iterum infestus Martius anni MDCLXXXI. non telo sed calculo valetudini Principis bellum indixit tam atrox, ut eluctaturus naturæ viribus nemini videretur: expertissimi enim Medici omnino sex, binique Chirurghi de vita jam conclamaverant. Quare ad Medicum suum cœlestem ac prodigiosum Xaverium recurrit infirmus, novisque votis auxilium implorat. Agebatur (humano judicio) postrema nox, quâ fatale momentum immi-

*Erga omnem.*

(C 2)

nere



nere judicabatur: sed producta divino beneficio vita est usque ad ortum diei: (decima quarta Martii erat, & dies Veneris, unaque ex iis, quæ numero denario solent à multitudine confluentis populi, solenni in Thaumaturgum pietate celebrari.) Oriebatur hæc dies, cum hierotheca brachialis ex urbe delata moribundo exhibetur: impositam pectori, Deo vires largiente amplectitur, & ardentissimo cordis affectu veneratur; renovat votum triduo ante factum de Templo ejus honori & nomini, si convalesceret, structurâ magnificâ à fundamentis erigendo. Audiit benignissimus Patronus, & redditâ sanitate voti reum fecit: quæ enim secuta est nox, placidam Ægro quietem indulgit & acerbam doloris abstergere cæpit. Quare solatio abundans Sacerdotem (cujus prudentiæ & doctrinæ plurimum acquiescere solebat) evocat è Collegio Societatis: auxiliarem Thaumaturgi dexteram, uti senserat, multis deprædicat; & nihilominus sacra pro se precesque Collegarum continuari expetit cum sponcione adimplendi voti, cum recuperatæ vires ejusmodi curas permisissent. Sacras Reliquias, cum reportari ad urbem suamque Altare deceret, principali & sejugi curru revehi, causâ venerationis mandavit.

*Firma &  
sensans.*

23. Neque tum primum ea cogitatio Templi suborta est. Quoties à pluribus annis ex una parte in oculos veniret excellens fabrica Collegii & Gymnasii Academici, quæ fundaverat struxeratque Celsissimus glor. memor. *Theodorus Propatruus*: ex altera verò parte conspiceret deformitatem connexi cum eis antiqui templi, ejusque angustias, ut, cum oporteret ad divina officia congregari juventutem Academicam, cæteris pene omnibus egressio, ac veluti fuga indiceretur. Hæc quoties, inquam, in oculos incurrerent; Sibi, qui Fundatoris Pronepos & Successor erat, relictam esse gloriam ædificandi novi templi arbitrabatur. Itaque jam aliquot annis antè ternas, Gymnasio proximas, ædes cum hortulis suis cœmerat, ædificiis dirutis complanaverat in aream templi  
capacem,



capacem, Collegioque transcripserat. Quod igitur tot annorum consilio & deliberatione statuerat apud se, ne à dissuadentium impulsibus moram acciperet, illius exequendi sibi piissimam necessitatem, interpositâ religione voti imposuit.

24. Opera pietatis externa notiora sunt internis, & omnium oculis patent: Eleemosynarum principalium largitiones frequentes, & foundationes perpetuæ; altaria sacrarum ædium, organa & ærea campana; hierothecæ argentæ & calices, cum reliquo apparatu Sacrificantium pretioso; Capellaniæ & Sacerdotia in pluribus locis instituta, excederent brevitatem Compendii si enumerarentur singula. Thesaurus est pretiosissimus in Metropolitana Moguntia, quæ in Cathedralibus Monasterii & Paderbornæ templis summas aras exornant Candelabra, Cruces, Statuæ, ipsa altarium, ut vocant, Antependia solido ex argento fabrefacta. Templorum denique Cœnobiorum, Sacellorum (quæ vel à fundamentis erecta, vel excitata è ruinis, ac stabilita ornataque sunt) existimo numerum æqualem esse numero annorum gubernationis, Attingantur ex iis paucula, & potissimum verbis ipsiusmet Fundatoris. Arx Neuhufana est Episcoporum & Principum Paderbornensium sedes, populoso & ædificiis frequente vico circumdata, qui usque eo caruerat omni templo, & usurpare parochialia sacra cogebatur in parœcia distantis pagi. Hoc igitur loco *Ædem SS. Henrici Imp. & Cunigundæ Aug. ad divini cultus incrementum, animarum salutem, & publicam commoditatem à fundamentis exstruxit, Anno MDCLXV. & anno sequente Sacellum S. Philippi Nerii eodem in vico gravi morbo liberatus ex voto adjecit. In pago Werriessen trans Visurgim, è regione Heristalli, parochialem Ædem S. Michaëlis Archangeli exstruxit, ornavit, dedicavit, An. MDCLXIII. De Templo parochiano in Körbeke sic iterum ipse: Templum S. Kiliani Episcopi & Martyris funditus collapsum restituit & ornavit*

*Pietas externa in variis operibus,*

*in Monument. ad fin.*



An. MDCLXIV. Warburgi Cœnobium & Templum PP. Prædicatorum Ordinis S. Dominici restituit & ornavit An. MDCLXIX. In urbe Braculensi cùm habitatione incommodâ uterentur PP. Capucini Ordinis S. Francisci, novum Brakelæ Fundator Monasterium S. Kiliani Episcopi & Martyris exstruxit An. MDCLXV. iisdemque Patribus postea solidum, nitidumque Templum à fundamentis condidit Paderbornæ. Eâdem in urbe in honorem S. Josephi Sponsi Deiparæ Virginis Templum (sanè egregium & illustre) cum Monasterio PP. Franciscanorum Stricteris Observantia, quos ibi plantaverat, à fundamentis exstruxit An. MDCLXXXI. Sic & Templum sanctæ Crucis Altenbecæ, S. Antonii Paduani Wünnenbergæ, S. Mariæ sine macula Hardenbergæ, Ss. 5. Vulnerum Warendorpii; alterum in Embslandia Aschendorpiense; S. Agathæ in Siddeffen, S. Annæ in Amerungen, parochiale in superiore Tudorff, S. Cyriaci in Kleinenberg, S. Kiliani in Lichtenau, Ss. Philippi & Jacobi in monte Fürstenberg à Theodoro Episcopo Pad. fundatum, S. Alexandri in Graffschafft, Ss. Petri & Andreae in Bustorff, S. Laurentii in Wedinghausen, S. Deiparæ in Mariæ-Münster, S. Lucie in Ettelen, S. Joannis PP. Franciscanorum Sufati, S. Matris dolorosæ in Attendorn, S. Joannis Bapt. in Himmelport, & aliis in locis alia partim ex integro reparata, partim exornata.

In fundatione  
Basilicæ Xa-  
veriane.

25. Denique manus admota templo Xaveriano, quod uti postremum, sic amplitudine, & nobilitate architecturæ Basilica Fürstenbergica dici meretur. Dies erat Augusti XIII. anni MDCLXXXII. quando Celsissimus amictu pontificali indutus, præeuntibus cum Clero minore Collegis Soc. Jesu, & sequentibus Dominis Prælatiis Canonicisque; Capituloribus plerisque, Nobilitate primariâ, Consiliariis, aliisque tum urbis, tum patriæ præcipuis Viris, è Collegio ad effossa fundamenti loca procedit. Ubi ad erectum versus orientem (ubi nunc summa ara est) tentorium processisset, sub eo præscriptis Ecclesiæ



Ecclesiæ ritibus benedicit primarium fundamenti lapidem; eoque delato ad plagam occidentalem (ubi nunc media maximaque porta templi est) ad fossam fundamenti descendit: Lapidem ad figuram quadratam excavato imponit laminam stanneam, hac inscriptione signatam: *D. O. M. S. FERDINANDUS Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Paderborn. & Monaster. Burggravius Strombergensis, S. R. I. Princeps, Comes Pyrmontanus, Dynasta in Borkelo, L. B. de Furstenberg, ad majus fidei ac pietatis Catholicæ incrementum, & servatæ vitæ memoriam, hanc Ædem D. Francisco Xaverio solemniter votam, suæ in Deum religionis, in S. Indiarum Apostolum gratitudinis, in Societatem JESU studii, in Collegium Theodorianum benevolentia monumentum, primo lapide ritè posito, à fundamentis exstruere cœpit. Anno salutis humane MDCLXXXII. Idibus sextilis. Pontificatûs sui Paderb. XXII. Monast. IV.* Hic ita peractis, denique in templo veteri cantatum est solennæ votivum de S. Indiarum Apostolo, quo celebritatem clausit *Celsissimus*, intimo solatio gaudioque delibutus; quod incrementis maximis auctum fuisset, si adspirante Dei favore licuisset coronidem operi inchoato imponere. Nam evolutis ab hac die mensibus decem & diebus tredecim, vitæ mortali valedixit, cum fundamenta è terris solummodo ad initia fenestrarum assurrexissent.

Quæ pietas externis operibus fulgere lucidius potest? Dicatur FERDINANDO, quod S. Amphilocheus olim Seleuco perscripsit: *Pietas lucet astris clarius.* Qui claritatem siderum obscurare poterit, is obtenebret fulgorem tam multiplicium, & magnorum operum Ferdinandæ pietatis.

§. VI.

## ZELUS ANIMARUM.

26. Cum pietate & prudentia FERDINANDI Pontifex longo sibi experimento perspectum, beneque cognitum  
Zelum

In Epist. I  
amb.

In fundatione  
Missionis Pa-  
derb.



*Zelum* commendabat. Et cognitus ille perspectusque est à subditis, à vicinis, à remotissimis ad Orientem & Septentrionem populis. Initium factum cum inita gubernatione, & prima lustratione diœcesios Paderanæ. Examinabat ipse in pagis Clericos sacrorum præfides, & Curatores animarum: in mores eorum, & omnem vitæ rationem inquirebat per diligentet. Si quos deprehendisset, qui irrepere sibi passi essent deformitatem vitæ solutioris, & curam salutis animarum negligenter; debitarum flagello pœnarum coërcebat dissolutos, vel etiam, si res exigeret, officio motos ejiciebat è domo Dei; quasi staret in vestigio Salvatoris, qui quos offenderat indignè versantes in templo, factò è funiculis, impactoque flagello omnes ejecit. Qui nempe sibi propriū sumpserat regii vatis: *Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Quidquid in gloriæ dedecoris, maximè in ipsius sacrorum ministris, eam fœdasset, severè tollebatur. Cum autem & animadvertisset, quod rusticana in pagis, sparsisque villis plebecula mysteriorum fidei, & mediorum salutis ignorantia laboraret, divinaque Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ vix annuè perciperet, idque cum defectu pietatis ac necessariæ præparationis: petiit à Superioribus Societatis Jesu, fundatisque congruis vitæ stipendiis, perpetuos esse voluit duos Sacerdotes, qui pagos & oppida diœcesios, apostolico more percurrerent; Parochis auxilio venirent; puerorum & puellarum scholas, ubi non essent, faciente sumptum Principe instituerent, ubi essent, sedulo visitarent; collectis in templo Catechesin exponerent; adultos concionum frequentia erudirent in rebus sacris, animarentque ad crebriorem usum Sacramentorum; ubique formam fervidæ Christianitatis inducerent.

Joan. 2. 15.

Psal. 25. 8.

Et aliam  
quatuordecim

27. Respondebat hæc missio votis beneficentissimi Fundatoris, & fructus uberes optatosque ferebat: quo factum, ut augetetur zelus, & extenderet se in vicinas Patriæ



Patriæ Monasteriensis, Ducatus Westphaliæ, & Nassaviæ  
ditiones, & fundatarum ejusmodi missionum subsidio  
animabus succurreret. Posteaquam verò à summo Pon-  
tificæ INNOCENTIO XI. jussus est Apostolicum suæ  
potestatis Vicarium agere per Septentrionem, oleum  
ardenti zelo affusum est, ut frigentibus illic animabus,  
vel ab hæresi convertendis ad fidem, vel pauculis, quæ  
desertæ lugebant, in ea conservandis, usque in Norve-  
giam mitteret operarios, & largissimo sumptu pro secu-  
turis temporibus stabiliret. Denique ex imperio Sina-  
rum, quod ultimus ad Orientem terræ limes est, cum in  
Europam venisset P. Ferdinandus Verbiest, in vastissimo  
illo regno Societatis JESU Vice-Provincialis, ut opera-  
riorum industriam manum colligeret, ne defectu cultor-  
um innumerabiles animæ æternum perirent: acceptis  
ab eodem Apostolico viro hac de re literis, motus est ani-  
mus zelosissimi Principis, atque ad novam pro salute  
istorum populorum instituendam missionem incitatus.  
Sed minimè satisfieret gloriæ DEI & FERDINANDI, at-  
que etiam aviditati lectoris, si ejus oculis subtraheren-  
tur, quæ Suæ Celsitudini placuit de numero, & ratione  
istarum missionum scribere ad generalem Conventum  
Societatis, qui anno MDC LXX XII. Romæ habebatur.

28. Non procul ab initio epistolæ ad eum datæ sic  
habet: *Necessarias primum in Paderbornensi, & diœcesi  
nostra Monasteriensi missiones Patrum Societatis JESU  
constituimus, & uberrimos ex eis fructus provenire conspi-  
cientes, cor nostrum dilatavimus, ac deinde ad patriam no-  
stram Westphaliæ Ducatum, postremò ad alias in hac mundi  
plaga provincias, ab Ecclesia Catholica per hereticam pra-  
vitatem avulsas, usque ad ultimum Septentrionem palmas  
nostras extendimus: atque ita quatuordecim missiones opi-  
bus nostris fundavimus, quas vestra sanctæ Sodalitati, ve-  
nerandi in Christo Patres, tradere & commendare decrevi-  
mus. Denique allatis ad Nos literis Ferdinandi Verbiest  
in vastissimo Sinarum regno Societatis vestræ Vice-Pro-  
vincialis,*

(d)

Brevi Apst.  
dat. 10. Sept  
1680.

que omnes So-  
cietati JESU  
demandatae



vincialis, quibus innumerabiles animas ad divinam gratiam recipiendam paratas, deficientibus illic sancti Evangelii præconibus, æternum perire miserabiliter deplorat; Doctorem gentium hæc verba nobis inclamantem: Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? & D. Franciscum Xaverium, singularem & beneficentissimum Patronum nostrum, desiderio prædicandi Sinis Evangelii magis, quam vi morbi extinctum, eadem è cælo, nobis ingeminantem audire visi sumus. Eoque memoratis hisce quatuordecim missionibus quintam decimam Sinicam & Japonicam adjecimus... Itaque coram vobis, venerabiles JESU Christi Sacerdotes, ac Moderatores sacrosanctæ Societatis ejus, hæc quindecim missiones, sex & triginta Missionariis commendatas, ex 101. 740. imperial. proveniente 5057. imperialium dalerorum annuâ pensione liberaliter, ut confidimus, à nobis dotatas & perpetuò stabilitas Deo Patri omnipotenti, ac unigenito Filio ejus JESU Christo totius humani generis Redemptori, (in cujus Societatem peculiariter vos vocati estis) & Spiritui sancto, ac Deipere semper Virgini MARLÆ absque macula conceptæ, ac sancto Francisco Xaverio Indiarum Apostolo, aliisque Cælitibus offerimus & consecramus. Magna magnanimi & zelosissimi Principis munificentia.

Rem. 10. 14.

Societas gratia esse conatur.

29. Quid verò ad hæc coetus ille Patrum congregatorum? Publico in confesso prælectis iis literis, & tempore ad deliberandum accepto, denique sic statuit: Congregationi deliberandum quidem non fuit, gratias an deberet, sed quas agere posset; Adeo visa nobis fuit rei magnitudo nostrum omne meritum viresque excedere. Ne tamen nostræ ullæ partes, gratique animi sensus & significatio desideraretur, decreta à congregatione, datæque ad illum in gratiarum actionem literæ sunt, indicta insuper per societatem universam sacra ac preces. Quæ cum numerum facerent multorum millium, applicatio eorum, & divinæ Majestati facta per FERDINANDUM oblatio, novum exhibuit & admirabile continuati zeli ac pietatis argumentum

alibi

(b)

mentum



mentum. Ut enim antè meminimus, ita & modò cum ipse his literis acceptis ad aram faceret, charta eidem imposita, propriaque manu scripta, hæc præter alia continebat:

Pro felici successu, & maximo fructu Sinicæ & Japonicæ missionis bis mille Missas offero.

Pro felici successu & fructu Septentrionalis missionis bis mille Missas

Pro missione Monasteriensi, Paderbornensi, Brunsvicensi, Bremensi, Embslandica, Hamelensi, Surlandica, Nassavica bis mille Missas.

Singularis profectò, & quodammodo geminus animarum zelus, non modò tantam copiam terrenarum opum effundere in procurationem Salutis earum; sed insuper tantum thesaurum bonorum spiritualium cum iisdem animosissima liberalitate communicare. Quamobrem

FERDINANDO imprimis convenient ii tituli, quos aliqui sanctorum Patrum zelatoribus animarum attribuunt, cum *Procuratores humane salutis*, imò & *Salvatores mundi*, Salvatori Deo subordinatos appellant. Salviense  
Hieronymus

Blasphematur sibi Rex Syriæ Antiochus Soter, quod subditorum salutem præhaberet suæ, eaque causâ & cognomen illud *Soteris*, quod est *Salvatoris* assumpsit, & vexillis suis inscripsit vocabulum *Salus*. Non inscribatur illud vexillis, aut gentilitiis armis nostri Principis, cum Deo & mundo perspectum cognitumque sit, quo zelo saluti animarum incubuerit, in propriis primùm provinciis suis, tum in remotissimis, quas enumeravit ipse, terris. Missionariis suis omnibus si non voce, at voto ac desiderio precatus est, quod circiter bimestri ante obitum, jam ex morbo decumbens, paterna cum suavitate dixit Sacerdoti, ad missionem Norvegicam profecturo, cum is ad lectulum decumbentis clementissimè admissus, episcopalem pro auspicio apostolici muneris benedictionem exposceret: *Gratia Dei te ducat, fili mi, & cooperetur, ut cum multis animabus in celo mihi occurras.* (d 2) MORS



## MORS FERDINANDI.

*mirum mor-  
tus.*

30. Tanto fervore Apostolicus Princeps quærebat animas, quas ad æternam gloriam in cælos secum perduceret, salvasque sifteret Domino Creatori suo: cum Dominus ipsum cælo maturum judicare visus est, & pro augmento gloriæ acerbis doloribus diuturni morbi, patientiam ejus & animi fortitudinem exercere. Exorto mense Martio incipit moveri calculus, & viribus acutissimo dolore attritis, FERDINANDUM lectulo adsternit. Excreverat is in eam magnitudinem & soliditatem, ut nullâ vi medicamentorum aut integer expelli, aut in arenas comminui posset. Trimestre tenuit cruciatus, & exeunte Majo declaratum est à Medicis, unicum superesse remedium conservandæ vitæ in cultello Chirurgi, quo fatale malum è vesica eximi posset. Accerfitur ille, qui à felicibus experimentis istius artis, totâ Galliâ & in parte Germaniæ claro nomine celebrabatur. Adest, optimam spem facit, facilem scissionem promittit, quartâ decimâ die Junii, dexterrimâ celeritate calculum educit, (quem vidi) pondere duarum unciarum; figurâ & magnitudine non inferiorem ovo minore gallinaceo, durtiâ & colore non absimilem fragmento albicantis petræ. Gratulari omnes tum sibi, tum Principi, & exsectâ illâ peste jam lætis omnibus firmiorem post hac valetudinem, longamque vitam polliceri. Sed rediêre non multo post omnia in luctum, quod viribus exhaustis debile corpus non permetteret vulnus coalescere, at recrudesceret dolor priore acerbior.

*fini obitus.*

31. Animadvertit ipse pro sua prudentia infirmus, se properare ad metam. Igitur humanis rebus curisque nuncium remittit: cum Deo Domino suo tractare negotium æternitatis incipit. FORTITER & SUAVITER, ut omnia fecerat in gubernatione suorum, sic in tolerantia dolorum, & præparatione ad exitum vitæ se ipse guber-



gubernat. *Suaviter* cum tenero affectu pietatis muniri se jubet extremis Ecclesiæ Sacramentis, eaque recipit inter anhela suspiria cordis contriti, & in divina voluntate acquiescentis. *Fortiter* audiebatur sæpius voce, ut poterat, nonnihil elevatâ ingemiscere, *O si mihi beata fors Martyrum obveniret, & pro Catholica fide hæc paterer!* & verò patiebatur fortissimè, ex amore sic omnia disponentis Dei. Sæpe diversorum Cœlitum, præsertim Deiparæ Virginis patrocinium enixè implorabat, non ut prolixius hanc vitam servaret, sed ut felicem transitum ad alteram obtineret. Subticere non licet, quid à clementia divinæ Matris obtinuerit. Ultimis vitæ annis quocunque die sabbathi vel ad aram fecerat ipse, vel si debilitas aut impedimenta non finerent, sacrâ se communione refecerat, ut sub materna ejusdem tutela efflaret animam in sabbatho, qui dies ab Ecclesia peculiariter Mariano cultui dicatus est. Oritur ergo tandem sextus & vigesimus dies Junii, qui sabbathinus erat: hora currebat ante meridiem sexta, cum in corona Sacerdotum, stas pro agonizantibus preces alternantium, magnis ornatum virtutibus spiritum, ad æterna, ut confidimus, præmia in cælo recipienda emisit.

32. Si enim Salvator in judicio dicturus est iis, quos stantes à dexteris suis, ad possidendam gloriam regni cœlestis evocabit: *Esurivi, & dedistis mihi manducare.* Esurientem in egentibus membris suis Salvatorem aluit FERDIANDUS, cum ab hæresi ad fidem conversos, eaque causâ exules patriâ, & bonis exutos liberalissimè sustentaret: cum eleemosynas magnas inter egentes, occultâ præsertim inopiâ pressos erogaret: cum religiosorum quorundam familiis annuarum proventus eleemosynarum fundaret, ut sanctos & voluntariè pauperes illos, etiam posthumâ beneficentiâ nutriret. Si centurionem illum laudavit Salvator, & gratiâ suæ visitationis, miraculoque sanati famuli, ac demum fidei dono impertiit ex hoc etiam motivo, quod Judæis Capharnai habitantibus

*fiducia de æterna gloria ipsius.*

*Matt. 25. 35.*

(d 3)

tibus



*Matt. 8. 10.* tibus *Synagogam ædificasset.* Si autem ejusmodi synagogam, aut legalem populi judacii scholam, sanctitate & merito antecellit quodlibet Ecclesiæ Christianæ templum, ut quod à Chrysofomo appellatur *locus Angelorum, regia Dei aula, cælum ipsum,* quot Christianorum Ecclesias condidit, tot habitationes Angelorum, tot regias Dei aulas, tot parvos in terra cælos ædificavit. Si postremò Salvator per Apostolum Jacobum asseruit: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum,* nempe priorum, ut à Doctoribus explicatur. Ea videlicet vis est in zelo salutis animarum, ut etsi peccata zelantis per se non remittat, permoveat tamen Salvatorem, ut si fortè peccatis obstrictus esset, gratiam ei conferat, ad peccatorum abolitionem, & ad meritam gloriæ cœlestis oportunam. Numeret, qui potest, animas ethnicorum in Sinis, hæreticorum in provirciis hæterodoxis, peccatorum in terris Catholicis, quas per institutos à se Missionarios converti fecit FERDINANDUS, facietque futuris sæculis. Causam igitur piæ fiducia habemus, quod tantus ille zelator salutis animarum, animæ suæ salutem à Salvatore meruerit: Ille tot pauperum Christi nutritor collocandus sit ad dexteram Judicis: ille tot cœlorum ædificator in terris, æternam gloriam à remuneratore Deo in cœlis acceperit. Quin imò confidimus, occulto & benevolo Dei judicio factum, ut qui innumera saxa & lapides in plurimorum ædificia templorum congesserat, unius denique innati lapidis, aut calculi doloribus, patientissimè toleratis extingueretur, & everteret illum in gemmam pretiosissimam, coronæ gloriæ in cœlis inferendam.

## §. VIII.

## IMMORTALITAS NOMINIS.

*hac post mortem perennat*

33. Ita cùm annos LVI. menses VIII. dies V. in terris vixisset, gloriosâ morte decessit, quem ob immortalia merita



merita nemo non cupiisset immortalem esse. Animam cœlo receptam esse confidimus. Cadaver depositum est in monumento, quod sibi construxerat ad summam aram in templo S. Josephi PP. Franciscanorum strictioris observantiæ. Solennes exequiæ magno concursu mœrentis patriæ, & externorum affluxu celebratæ sunt die tertiâ Augusti. Gloria tamen & celebritas nominis, cum exanimato cadavere defossa in tumulum non est, sed immortalitatem, quæ in hoc sæculo haberi potest, adepta. De hac igitur ad extremum pauca referantur, ut magni Principis maximæ virtutes elucescant clariùs, quique hæc intellectu sunt, fortiùs ad æmulationem incitentur. Uti naturâ cupidi sumus immortalitatis, sic de mortalitate nobis à Deo decreta sumus experientiâ certi. Placuit tamen conditori desiderium illud immortalitatis solari fertilitate conjugiorum, ut argutè Cæsar Justinianus: *Matrimonium humano generi videtur immortalitatem artificiosè introducere*: nam parentibus filii, filiis nepotes, his alii longâ serie descendentes succedunt; qui & lineamenta Majorum, & nomina, atque insignia conservant, referuntque posteritati. Eruditio castissimi Principis, & pietas, & zelus animarum, mirabili & mentali sæcunditate filios genuit, & post se reliquit, non emorituros.

34. Cùm viri docti laborem scribendi suscipiunt, atque ad usum & oblectamentum posterorum *Libros* evulgant, dicuntur gignere *Filios*, sibi similes, & omni ævo victuros. *Filii quidem corporum, animæ verò fetus sunt libri*, ait Clemens Alexandrinus. Similes illi sunt parentum, sive auctorum non corpori, sed animæ; cujus prudentiam, facundiam, eruditionem & alias dotes ita repræsentant, ut, cùm oculis attentis leguntur, spirare adhucdum, & colloqui nobiscum videantur. Omni etiam ævo victuri sunt libri; nam etsi ante millia annorum obierint, qui eos scripsere, servantur nihilominus in bibliothecis velut thesauri, & novâ semper aviditate leguntur,

Novell. 22.

per eruditionem in libris.

Lib. I Strom.



leguntur, legenturque ad sæculi finem. Sic libri sunt liberi, qui genitoribus suis generant immortalitatem. Laudare genitos à doctissima mente *Ferdinandi carminum & monumentorum libros*, est actum agere, cum eruditissimi quique hujus ætatis ex Italia, Gallia, Anglia, Belgio aliique Scriptores, seu prosâ seu versu eos gravissimè ornatissimeque collaudarint: ut ex eorum quoque immortalitatibus libris immortalitatem sui nominis acceperit. Sed isti non essent, in libro Monumentorum Paderbornenses Antiquitates è Romana, Francica, Saxonica Historia, suâ industriâ erutas sic orbi conspiciendas proposuit, ut IPSE se multo conspectius, atque ad immortalitatem stabilius MONUMENTUM inter ea erexerit, quod nulla edacitas imbrum, aut violentia ventorum diruet, nulla temporum vetustas abolebit.

per opera pietatis externa in sacris aedificiis-

2. Reg. 18. 18

35. Similium loco filiorum assumuntur & saxa ac marmora. Avidus immortalitatis Absalon non habebat filium, à quo eam speraret, itaque pro monumento nominis sui erexerat sibi titulum, sive pyramidem, aut columnam è marmore, quæ statuam, ejus nomine ac titulo inscriptam sustineret. Et quæ alia mens Romanorum veterum, cum statuas illas suas, aut columnas, aut bellica trophæa, arcusque triumphales erigerent? Immortalem gloriam nominis hoc meditamento querebat illorum ambitio, Laudabilius eam fortiusque stabilivit pietas FERDINANDI, erectis pro Dei gloria & cultu quamplurimis templis & aedificiis sacris. Multa per omnem patriam sparsim, sola in urbe Paderana Annæum, Josephinum, Xaverianum posteritas sera videbit, cum sacrificatum illuc precatumque accedet, & famam nominis ejus intercidere non patietur. Quin & ipse maximus Deus, quoties ejus Majestas ibi populorum precibus, & sacrificiis Sacerdotum coletur, benigno affectu præsens aderit, illaque structurarum & altarium saxa intueri non poterit, quin pii fundatoris memo-



memoria & nomen occurrat. Par est accommodari FERDINANDO, quod ab egregio Scripturarum interprete assertum est de iis, qui ad constructionem veteris tabernaculi sua contulerant: *Nec lapis unus a te offerretur construendo Dei tabernaculo, qui in magnam tui commendationem, & utilitatem non stet semper in oculis divinis. Et quam salutare tibi putas, quod non possit Deus oculos ad sancta sua convertere, quin ibi semper videat lapidem tuum, lignum tuum, aurum tuum &c.*

36. Filiorum postremo, mente genitorum nomen immerentur, quos apostolici Ecclesiæ Præsules, & animarum Pastores, suo zelo accensos ad prædicationem fidei & virtutis christianæ destinant, & quasi viva suæ virtutis testimonia ac simulachra orbi relinquunt. Quare de aliquo tali accipiunt sacri Doctores illud Siracidæ: *Mortuus est pater ejus, & quasi non est mortuus: similem enim sibi reliquit post se.* Elegerat in hoc opus Apostolos suos Salvator, instruxerat, mittebatque in mundum universum prædicare Evangelium omni creaturæ. Igitur exquisito vocabulo paterni amoris non dubitabat eos appellare *filiolos suos.* Neque dedignatus est hunc honorem iis tribuere FERDINANDUS, quos in diversissimas orbis terrarum partes, ut Salvator Apostolos mittebat. Paternum enim in eos animum declarabat, cum uni eorum pio suavique cordis affectu diceret: gratia Dei te ducat, fili mi, & cooperetur &c. Nec solos Apostolos, brevi morituros, ad animarum salutem mittebat Salvator; sed etiam providentissime curat, ut ex eorum discipulis, dum stabit Ecclesia, novi semper recentesque succedant: ita perpetuarum munificentia foundationum FERDINANDUS providit, ut (si conservare eas Deo placuerit) decedentibus Missionariis primis, nunquam deficere possint successores, nunquam per eos immortalitas nominis interire. Societas Jesu quidem, dum illam Deus Ecclesiæ suæ non subtrahet, extinguere memoriam maximi sui Benefactoris non sinet: sic enim

(e)

in

BACKA TIT. 2. in EVANG. lib. 9. cap. 2. §. 1.

per xelum animarum in Missionibus.

Ecc. 30. 4.

Marc. 16. 19.

Joan. 13. 33



in generali conventu, quem diximus, proficitur: *Ejus ad Nos, nostræque ad Ipsum insertæ servatæque in actis congregationis literæ, ad perpetuum videlicet tum singularis illius erga nos munificentia, tum nostræ erga illum gratissimæ voluntatis, ac memorie futurum apud nos, æque ut posteros pignus & monumentum.*

*Votum pro  
immortalita-  
te Familia.*

37. Velit divina clementia & immortalitatem nominis perennare in propagatione antiquissimi *stemmatis Fürstenbergici*; ut quot anterioribus sæculis ab ætate Caroli Magni Imperatoris, usque huc floruit virtute & gloria majorum, qui incredibili fide, labore, integritate, constantia Religioni Catholicæ, Romano Imperio, & Patriæ fervierunt: tot iterum secuturis sæculis, splendore & gloria in seris nepotibus, avitarum virtutum hæredibus, semper augeatur. Viget illud hoc tempore in illustrissimo FERDINANDO L. B. de & in Fürstenberg, Domino hæreditario in Snellenberg, Waldenburg, Herdringen, Waterlap, Hüsten, Brockhausen, Horst, Boke, Adolfsburg, Hengsbeck & Langeney, Rev.<sup>mi</sup> Ser.<sup>mi</sup> Electoris Colonienfis cubiculario aureæ clavæ, consiliario intimo & in Ducatu Westphaliæ nobili, Satrapa hæreditario in Bilstein, Waldenburg & Fredeburg, Dynasta in Oberkirchen Advocato itidem hæreditario in Graffschafft & Ewig &c. quem die XXII. Augusti Schnellenbergæ Boni Superi terris dedere, futurum unicum (Fratribus natu majöribus immatura morte præreptis) Familia Propagatorem; anno quidem eodem M. DC. LXI. quo mensibus quaternis ante Patruus FERDINANDUS (futurus ejusdem Familia maximus Illustrator) in Principem & Episcopum Paderbornensem erat electus. Qui cum & Patruus, & in baptisinate Sponsor esset Nepotis, suum illi nomen imposuit, & (quæ de Patrinis opinio est) cum nomine suarum virtutum amorem & æmulationem inseruit. Nam æstimatio literarum ac literatorum, prudentia in consiliis, & industrius labor in gubernatione Satrapiarum, pietas in Deum & cœlites, largitio eleemosy-



mosynarum frequentium & stabilium, aliæque dotes illustriſſimæ, exſcribunt imaginem patruī, & mererentur diſtinctius ornatiuſque recenſeri, niſi & verecundia ſcribentis, & Ejuſ, de quo ſcribitur, modeltia prohiberet. Sic viget in *Ferdinando* Familia velut in ſtirpe, pluribus jam ſurculis germinibuſque feliciter aucta. His adſpirante gratia tua, clementiſſime Deus, indulge, ut *Fridericici* naſcantur & *Caspari*, qui Archiſatraparum, Conſiliariorum, Legatorum aliorumque munerum titulis illuſtrentur, ipſoſque titulos factis illuſtrent: qui inter Prælatos Eccleſiæ & Præſules dignitate emineant, & eminentiam dignitatibus addant. Enaſcantur **WILHELMI**, qui Catholicam fidem contra barbaros & ſchiſmaticoſ militia & armis defendant. Exoriantur **THEODORI**, qui eandem in ſua diæceſi hæreticorum furore collapſam, invicta magnanimitate reſtituant, Reviviſcant **FERDINANDI**, qui eam inter infideleſ, hæreticoſ, rudeſque catholicoſ, ubi ubi, totis viribus opibuſque propagent. Reluceat in omnibus eruditio, prudentia, pietas, zelus vere *magni & Apoſtolic* **Epilcopi ac Principiſ FERDINANDI.**



(e 2)

INDEX



INDEX NUMERORUM  
Hujus Compendii.

- §. I.  
INITIA FERDINANDI.
1. Nativitas.
  2. Adolescentiæ studia.
  3. Profectio Romana.
  4. Studia & honores Romæ.
  5. Electio in Episcopum Paderbornensem.
- §. II.  
AUSPICIUM ET REGULA  
GUBERNATIONIS.
6. Invocatio divini auxilii.
  7. Pro auspicio Gubernationis.
  8. Electio regulæ aut symboli.
  9. Quod divinæ Gubernationi conforme.
- ADJUMENTA GUBERNATIONIS.
- §. III.  
ERUDITIO.
10. Hæc Fürstenbergiis gradus ad honores, etiam ad Principatus:
  11. Theodoro præfertim & Ferdinando.
  12. Cujus gubernationem illustravit.
  13. Graviorisque curas non impedivit.
- §. IV.  
PRUDENTIA.
14. Ferdinandi prudentia œconomica.
  15. Ejusdem prudentia gubernatrix,
  16. Principalis & paterna,
  17. Suavis & fortis.
- §. V.  
PIETAS
18. Hæc Ferdinando velut ingenua.
  19. Pietas ejus interna erga Deum.
  20. Et erga cœlites;
  21. Præcipue S. Franciscum Xavierium:
  22. Erga eundem,
  23. Eaque firma & constans.
  24. Pietas externa in variis operibus & exstruendis Templis &c.
  25. In ædificanda Basilica Xaveriana.
- §. VI.  
ZELUS ANIMARUM.
26. In fundatione Missionis Paderbornensis,
  27. Et aliarum quatuordecim:
  28. Quæ omnes Societati Jesu demandatæ.
  29. Societas grata esse conatur.
- §. VII.  
MORS FERDINANDI.
30. Ultimus morbus.
  31. Pius obitus.
  32. Fiducia de æterna gloria ipsius.
- §. VIII.  
IMMORTALITAS NOMINIS.
33. Hæc post obitum perennat,
  34. Per eruditionem in Libris,
  35. Per opera pietatis in Ædificiis.
  36. Per zelum animarum in Missionibus.
  37. Votum pro immortalitate Familiæ.

MANES